NAVPACTIADOS,

SIVE

LEPANTIADOS

IACOBI MAGNI, Britanniarum,

Franciæ, & Hiberniæ Regis, fidei verè

Christianæ vindicis, & assertoris

verè Christianissimi

METAPHRASIS POETICA

Authore THOMA MORAVIO Scoto.

Huic adtexta sunt paucula quædam ejusdem Thomæ Moravii Schediasmata.

Janus. 37.
in amicitiā. 42
epitaphio. 43

LONDINI,

Excudebat JOHANNES NORTON, Serenissimæ Regiæ Majestati in Latinis, Græcis, & Hebraicis Typographus. 1604.

AD ILLVSTRISSIMVM Invictiſſimumque Principem, Iacobum MAGNVM, Britanniarum, Franciæ, & Hiberniæ Regem, fidei verè Chriſtianæ vindicem, & aſſertorem verè Chriſtianiſſimum, Thomæ Moravii Scoti

Epigramm-Elegia.

MAGNE, decus Lauri, Sceptri ingẽs gloria, Mundi
Fama, Britannigenis ſpes, columenque tuis.
Dum tria divino cedunt tibi ſceptra favore,
Et ſtupet ad ſortem mundus uterque tuam:
Dum tuus æternum populus tibi lætus honorem
Spondet, & æternam dum ſibi lætitiam:
Dum puram, & gratam tibi dat teſtantia mentem
Munera, pro loculis ſplendida quiſque ſuis.
Dúmque tuas omnis, peregrina, Albináque laudes
Muſa canit numeris officioſa ſuis.
Ne noſtra ingrato Muſa obſtupefacta veterno
Viſa ſit officii non memor eſſe ſui.
En gratum ingenii meditor tibi munus, & Orbi,
Et Lauro, & Sceptris congrua dona tuis;
Hinc Italos, Boios, Cimbros, Belgáſque, Alemannos,
Sarmatiam, Gallos, luſtro Britannigenas.
Nil tamen in tantis, nil tot ſuccurrit in oris
Condignum, titulis conveniènſque tuis:

Nec ceſſare libet, pergo: in te ſedulus ipſo,
Quod deerat cunctis, rimor, & invenio.
Nempe tuis dignam titulis, mundoque Lepantin,
Suaviloquum cunctis delicium populis.
Hinc, ſibi quiſq; tuam ſtudiis ingentibus ornant,
Et cultam numeris exhibuere ſuis.
Quòd tamen hanc Latiis nemo exornare Camænis
Tentet, & antiquæ cultibus Italiæ,
Miror: ab incepto terret, puto, fama, ſiniſtram
Quam tanti obtutu Principis uſque timent.
Nominibus pudor eſt ſummis ſuccumbere nullus,
Victor enim palmam, victus habetq; ſuam.
An quia quadrupedes ſuperat Leo nobilis omnes,
Non honor ingenuo dignus habetur equo?
An quia Rex pennis, animis, acieq; volucres
Vincit, ad accipitrem gloria nulla venit?
Magna quidem Soli, magna eſt quoque gloria Lunæ,
Stella, minor licet eſt gloria, nonne micat?
Nec decet hac celebri claros ætate poetas
Attonitos titulis obſtupuiſſe tuis.
Mæonides magnum, fateor, debebat Achillem,
Æneam & ſolus carmine Virgilius,
Solus Alexandrum cælo expreſſiſſe Lyſippus,
Appelles picta ſolus & effigie.
Si tamen hi ſtudio ſegneſcant deſide, ſegnes
Quid vetat hos rudibus ſubmonuiſſe modis?
Hos ego (vana meæ non quòd fiducia Muſæ
Adſit, abeſt animo gloria vana meo)
Excito, ceu doctos male doctus Tiro magiſtros
Ad doctum indoctis auſibus urget opus.
Sic rudis incultam Latio centone Lepantin
Dum paro, languentes excito Virgilios:

For-

Forſan & Accipitres, & Equos, Stellaſq́ videbis
Impulſu erectos non rubuiſſe meo
Te ſub Sole, Aquilâ, ſub teq́, Iacobe, Leone
Cantare Auſoniam, Magne, Lepantiadem.
Digna hinc ſpe, lauro, & mundo, quæ Muſa nequibat
Noſtra, dabit titulis hæc aliena tuis.
Noſtra tamen placido ſume hæc conamina vultu,
Confiteor volui multa, nihil potui.
Des animos, Leo: Sol, lucem: Rex aliger, alas:
Sic dabo, quæ volui: non dabo, quæ potui.
Sic, Leo: ſic O Sol: Aquila, O bene vive! Leoni
Et Solem adjungas, Rex, Aquilamq́ tuo.

Ad eundem Epigramma.

MAGNVS ut ad magni tumulum pervenit Achillis,
Magnæ admirator maximus Iliados.
Fortunate, inquit, juvenis, tuba maxima laudum,
Aurea Mæonidæ cui data Calliope.
Pace tamen Magni mihi dicere fas ſit: Achillem,
Nec fortunatum cenſeo Mæonidem.
Fortunatus enim nemo eſt, aliunde beatis
Qui miſer exquirit materiam titulis:
Quod canit hic, gerit ille: canat ni, quod gerit ille,
Eſt nihil: ille gerat ni, canit iſte nihil.
Nempe deeſt iſti Mars, illi Muſa, coronat
Qui fortunatos junctus uterq́ viros.
Fortunate O Rex, cui Muſaq́, Marſq́ dederunt,
Iſte, canenda geras: illa gerenda canas.

Ad Herõas Christianos hoc Poemate indigetatos

Aliud.

RElliquias flammæ, Trojanáq; rudera, Magnus
Lustrat Achillæum dum Macedo tumulum.
Si fortunatum magnâ proclamat Achillem
Voce, canas numeris hunc quòd, Homere, tuis.
O fortunatos! quibus una est gloria, summi
Vatis & ore cani, Regis & ore coli.

Præfa-

Præfationis Regiæ ad Lectorem Metaphrasis.

SÆpenumero accidit, ut mortaliũ actiones contrarios omnino auctorum consiliis eventus sortiantur: atq; hoc quidem, amice lector, in Naupactiade mea experientiâ edoctus nõ ita dudũ deprehendi: Ea etenim licet nondum typis excusa in publicum prodierit, surreptitiis tamen exemplaribus, insscio certè, & invito me, divulgata in manus hominum pervênit, & quòd præfatione non præmuniretur; perperam & finistrè à quibusdam nonnullâtenus est excepta. Enimverò præfationem mihi consultò omittendam duxi, ne eruditi lectoris ingenium ad hoc rude opusculum absque commentario capiendum imprudenter, tanquam minùs idoneum redarguere, atq; inde injucundam, ac ingratam totius Poematis lectionem reddere in ipso statim limine viderer. Sed contrà accidisse video: nonnulli enim de nostro per præfationem consilio non præmoniti, eo quadamtenus perperam accepto, aut detorto, rem omnem in deteriorem partem arripere non rubuerunt. Et cum non ignorem hoc in primis improbari, quòd mercenarii Poetastri instar, nullâ nominis, aut religionis, quam profiteor, habita ratione, ex professo nothum, eumq; Papanum hominem laudibus efferam, exposita hujus Poematis tum naturâ, seu genere; tum methodo, seu ordine; imperitum lectorem errore suo extricare, cæteris autem omnibus omnem

cavillandi anſam precîdere hîc decrevi. Poematis hujus genus, ſeu naturam quod attinet, argumentum eſt à minori ad majus poeticâ collatione copioſè illuſtratum. Atq; ad hoc quidem elucubrandum per occaſionem ſceleſtæ illius conjurationis, & ſanguinariæ in Orthodoxos per univerſam Europã concitatæ perſequutionis adduci me ſum paſſus: eâ certè primum fervente, poema hoc qualitercumq; à nobis exaratum prodiit, quod noſtra illa poſtremis verſiculis ſub calcem hujus opuſculi ad afflictos Evangelicos adtexta περιστολὴ perſpicuè evincit. Quâ etenim per Gallias æſtate nefarium illud Fœdus primò eſt promulgatum, eâdem noſter hic labor & inchoatus eſt, & conſummatus. Cantici hujus ordo, ſeu methodus hæc eſt. Operi univerſo præmiſſa eſt poetica præfatio, in qua nec nomine, nec periphraſi Iohannem illum Auſtriacum exprimo, quod profectò factum oportuit, ſi poema hoc in ipſius laudes conceptum prodiiſſet, ad exemplum Virgilij,

An. Chr. 1585. Ætatis Regiæ 18.

Arma virumq; cano.

Et Homeri,

Dic mihi Muſa virum.

Quos imitari, ſi conſilio id noſtro quadrare potuiſſet, neutiquam ſanè puduiſſet. Præfationem excipit non Divarum & Divorũ (in quorum adulterinum, ac commentitium honorem bella omnia Auſtriacus ſuſcepit) ſed veri unius Dei invocatio. Huic ſubjuncta eſt Poetica collationis noſtræ hiſtoria, in qua pictoris inſtar, effigie primùm leviter adumbratâ, mox vivis coloribus, lumine, & umbris abſolutâ, promiſcuis rerum geſtarum circumſtantiis, prout artis Poeticæ leges ferunt, nonnunquam addo, nonnunquam etiam, ubi commodum videtur, detraho. Poeticam hanc comparationem con-

continenter excipit Angelorum Canticum, in quo præmissam comparationem afflicto tum Ecclesiæ statui accommodo, arreptaq; inde occasione, paucula de religione confidenter profiteor. Postremò totius poematis Epilogus novissimis octo versiculis scopum, & finem mihi propositum perspicuè declarat, meumq; à minori ad majus comparatorum argumentum ita planè, & plenè explicat, ut ista persequi citra pudendam ταυτολογιαν sit nefas. Tandem ut rem omnem in pauca contraham, quantumcunq; Johanni Austriaco honorem hîc vindicamus, ejus tamen in hac palmâ obtinendâ, non tanquam primariæ, aut secundariæ causæ, sed tanquam privati hominis, historica veritate ita exigente, meminimus: nam ut à nostra dignitate alienissimum est, cujusvis mortalis laudes mercenario stilo decantare, ita certè infra fortunæ regiæ apicem est, ac fastigium, cujusvis mortalis vel amore, vel metu à scribenda, aut profitenda veritate vel tantillum dimoveri. Iam prolixiorem hanc, amice lector, Apologiam, ad quam non meo genio, sed necessitate quadam impulsus sum, boni consule, & Vale. *Edinb. Prid. Cal. Maias.* 1588.

Naupactiados Regiæ,

Metaphrasis Poetica.

GEsta Dei miranda cano, Bonitatis ab alto
Insignem Miserantis opem; revolubilis axe
Ætheris effusas Iræ indignantis habenas;
Armág, & horribilem duro certamine Martem,
Commissasq, acies; dubiisq, furentia signis
Agmina; sanguineum miserando funere pontum;
Vulnera multigenis cumulata horroribus, ardent
Fortè Corinthiacas dum bella insana per undas,
Infestisq, fremunt armis, recutita profani
Hinc Selimi turba; hinc Christi mundata lavacro
Sanguineo sordes acies quæ pellit avitas
Une Deus, tu trine Deus, ter hypostasis una,
Tres simul æterni, tres omnipotente coæqui
Numine; personis, mirum! O Deus une, ter unis.
Omnipotens genitor, supplex tua numina posco
Per Verbi, Natiq, tui venerabile nomen,
Primus in ætherias, jus imperiumq, phalanges
Qui tenet, & studio peragit tua jussa fideli,
Huc ades, O! nostros supra hæc mortalia sensus
Effer, & invalidam Sacro Spiramine musam
Imbue, quæ terras cantet tua gesta per omnes.
Tempus erat (sed adesse Deo nos nulla putamus
Tempora, nam lapsis præsentia, lapsa futuris
Non variataruunt: at terras perpete Phoebus
Lampade collustrans, alienis splendida flammis
Lunaq, perpetuis redeuntia tempora giris

Incerto, aſt certo pariunt, variantq́; meatu:
Hora, dies, noctes, veniunt hinc menſis, & annus,
Pérque vices redèunt. Sed mens humana, profundis
Corporeæ quæ molis hebet fuſcata tenebris,
Ut nequit æternas acie diſcernere leges,
Suevit ad humanum divina affingere ſenſum)
Quum Deus Angelicis, viſu mirabile! turmis
Cinctus, & ad dextram Chriſto inſignitus Ieſu
Iam ſumma Empyrei celebrans prætoria cæli
Undique diffuſo clarus fulgebat honore.
Interea cautus ſcelerum fabricator, & Orci
Luridus impoſtor, fallax veterator, Adamæ
Stirpis, & infandus Superûm ſeſe ingerit hoſtis.
Haud mora, Chriſticolûm ſortem miſeratus iniquam
Androtheos, *monſtriq́; feri commenta perôſus*
Talibus immanem petit indignatus hyænam.
Non artes, aſtus-ve tui; non ſubdola fallunt
Conſilia, ut magnâ Byzanti Impoſtor, ab arce
Iam venias, tumidis ſponte inſultantia Turcis
Pectora, jam rabidas & ut inflammaris ad iras,
Ne populi pars ulla mei, qui dia veretur
Numina, ſacrilegos Turcarum evaderet auſus.
Quò tandem, Pater, i ſque tuos eludet acerbis
Barbaries Otomanna malis, ut cæde piorum
Lætus, & immani Satanas de clade triumphet.
At contrà, hæc Satanas. O quàm pietaſq́;, fideſq́;
Turcig: nûm fumo, Zephiriq́; eſt vanior auris,
Chriſticolûmq́; ſimul? numquid vertatur utrinque,
Quis magis averſo recti de tramite curſu
Devius in vetitos flectat veſtigia calles?
Numquid & infamem vitiis ta juris utrumque
Permittis, Deus, e ſò mei ſecurus ut illos

Arbi-

Arbitrii pro lege mei rapiamq́, ruamq́?
Tum Pater ætherius, rerum cui ſumma poteſtas,
Cujus ad exiguum tremefacta cacumina nutum
Montibus inſiliunt, minimæ qui accenſus ab iræ
Scintillâ, horribili trepidas ſtridore cavernas,
Antráque, & effractis terræ compagibus, ima
Fundamenta quatit, vocis qui flamine totum,
Materiâ, mundum, nulla præeunte, creavit:
Ille trahens calido fremebundas pectore voces
Talibus intonuit. Licet, Immaniſſime rerum,
Eloquii cum luce mei, commenta cerebri
Chriſticolûm pars magna ſui commiſceat, omnes
Attamen unanimes Chriſtum amplectuntur Ieſum,
Nunc odijs abſiſte, meos non inde licebit
Chriſtiadas brutis truculenti exponere Turcæ
Auſibus, ut mea vis memorandaq́, gloria noſtri
Nominis immenſum pateat diffuſa per orbem.
Ergo, ſatellitii Princeps fidiſſime noſtri,
Qui populos mundi varios, diviſa Monarchis
Regnáque, & innumeras, Gabriel, luſtraveris urbes
Nuntius ætheria celi demiſſus ab arce,
Nunc Venetûm mœſtam remea feſtinus in urbem,
Occultámque animis infunde ſilentibus iram,
Ut memores, quæ damna Selym, quæ funera victor
Edidit, & quantis cumulavit ſtragibus urbes,
Funera funeribus, damnis quoque damna rependant.
Non ita pernîci vacuum per inane volatu
Horridus invehitur Boreas, juga ſummáque præceps
Perflat, & excuſſâ glomerans præludit arenâ.
Quàm ſoboles alata Dei, cui ſola voluntas
Sufficit inſtructas pennis properantibus alas.
Urbs jacet Adriaci tumido circumſona fluctu

Æquoris, Ausonio distat quæ littore quinque
Millibus, undantes propter maris undique fluctus,
Esse tamen Superi cui non licet insula ponti:
Unde situs Marci summa ad pinnacula templi.
Fluctibus in mediis solida tellure vacantem,
Sed tamen immotam stupidus mira beris urbem.
Nempe, quod impatiens terræ Natura negavit,
Hoc studiis humana suis solertia tandem
Præstitit, undanti maris indignantis in æstu
Defixa & trabium silva, condensa locavit
Fundamenta, maris domitrix quæis lata superbit.
Hic spatiosa, foro celebris, patet insula; Marci
Tutelare præit numen: præfulget honore
Dux vigil, & socio moderatur cuncta Senatu.
Hic Thetidis furias, tumida sq; ut mulceat iras,
Annua solenni pangit sponsalia ritu.
Hanc ubi Dædaleam Princeps descendit in urbem
Angelus, humanos habitus, vocemq;, colorémque
Accipit, & tacitus fluitantia permeat urbis
Compita, cùm studiis clarus pietatis, & æqui
Civis oberrantem alloquio remoratur amico,
Cui Gabriel tales promit de pectore voces.
Quid geritur? quid adhuc ignava per otia vitam
Perdimus? immeritos numquid noctésque, diésque
Effera vis Selymi vexat? permulta Ducúmque
Exanimata jacent Mavortia pectora? numquid
Turcicus obstructas tenet obsidionibus arces
Miles, & assiduo miseros premit undique luctu?
Eia age, quin mediis vitam sortimur in armis?
Iam pudeat cessasse: Deus conatibus usque
Fortibus, & ceptis favet usque audacibus. Hæc ut
Dixit, in atherias fugiens evanuit auras,

Consi-

Consilij sed fama omnem diffusa per urbem
Fertur, & argutas ubi plebi irrepsit in aures,
Hausta semel, placuit cunctis, postrema Ducemque
Impulit, & summâ mirum gravitate Senatum,
Concussitque animos, bellique reduxit amorem.
Interea vario jactata Venetia planctu
Contremit, ut Turcam bello frenare superbum
Iam nequit, ut Cyprus longùm oppugnata profanis
Hostibus in prædam cessit, vastataque ferro
Regna procul Latiæ distantia finibus oræ.
Obstupet hic tandem, tandémque (novissima cunctis
Quæ supereſt medicina malis) ubicumque per orbem
Christicolûm sacros templa instaurantur adusus,
Impetrat assiduis precibus divina vocari
Numina, quæ tristes solvant miserata dolores.
Iam cælum Venetus pernoxque, & perdius unum
Spectat, & indocilem jejuno verbere carnem
Castigat, querulísque Deum succumbere votis
Sollicitat: gemitu taciturna silentia noctis
Exagitata gemunt, misere totámque per urbem
Singultus, planctúsque sonant, & lumina luctus
Tristibus obscurat lacrimis: mœrórque, dolórque
Prosternunt validam periniqua morte juventam.
Fœmina, sopitis exsangui frigore nervis,
Semianimis prostrata jacet: palmarius infans
Ubera demulcens lacrimoso undantia lacte
Ut videt abjectam, lamentantemq́, parentem,
Hanc sequitur luctu docilis consorte, piúsque
Commovet attonitas trepidis vagitibus auras.
Nobile quinetiam genus aversata juventus
Pallida lugubri vestita incedit amictu.
Quin lacrimis, gemitu, planctu, mœroribus horrens

Sol ſtupet, oblitus mundi, auctoriſque, ſuique,
Oceani tremulis citior ſe condit in undis.
Non ſemel infamis tenera cum Matre Cupido
Obrutus innumeris, gravibúſque doloribus, audet
Flammiferas vibrare faces; non tela, nec arcum
Tangere: Circumeunt ceu ſpumea fluctibus urbem
Æquora, ceu liquidis vicos mare pelluit undis,
Sic mediâ ſuſpenſa domo laquearia triſtis
Fletus, & auratos lacrimoſum flumen honores
Obruit. Horriſono veluti mare murmure fluctus
Concitat, & furiis reſonantibus aſtra laceſſit,
Sic domus interior miſeris plangoribus, omnis
Teſtudo Empyrei reſonátque altiſſima cæli.
Muſa, dolor! dolor! infandos, mea Muſa, dolores,
Et tremulum mihi ſiſte pedem, ne impulſa querelis
Ilia rumpantur, lacrimis quoque vena redundet.
Hic ſtatus, hæc Venetos fortuna miſerrima cives
Obſidione premit, Solio cùm miſſus ab alto
Angelus ætherius, populúmque, Ducémque, Senatúmque
Incitat acceptas bello reparare ruinas.
Nec mora Chriſticolas in fœdera ſancta Monarchas
Sollicitare labor fervet, qui claſſe, viríſque
Se ſocient, armíſque doment communibus hoſtem.
Hinc ſtabili tandem bellum jurata profanum
Sacramenta fide ſanxere, piúmque Monarchæ
Conceptis fœdus verbis pepigere futurum,
Dum Turcis, Chriſtíque piis infeſta manerent
Bella, ſed ut certo gererentur bella paratu,
Vere novo placuit per Eoi marmora ponti
Claſſem turrigeris validam concire carinis.
Ergo vacaturi ſtudiis Martíſque, maríſque
Meſſanam proceres, ingentia nomina, tandem

Ad-

Adveniunt, ſociiſq; parant communia curis
Auſtriades quinti ſoboles Mavortia Carli
Armorûmque, virûmque caput: Martíſque propago,
Et Veneris Venetâ magnus Venierius urbe
Ductor: & afflictis Genuæ certiſſima rebus
Anchora, terribilis rapido Neptunus in alto
Aureus; & Romæ columen, bellique Columna.
Hîc ubi congreſſi, longis ſermonibus iſta
Addidit Aſcanii ſapientia provida Cornî.
Magnanimi, fortéſque duces, armíſque potentem,
Numquid & inſtructam generoſo milite claſſem
Ducitis? Heroas quæ cauſa indigna paratos
Cominus infeſtis prohibet concurrere ſignis,
Fortunæque rotis dubium concredere Martem?
Non tanta adverſum funeſta pericula bellum
Afferet, & triſtis, prohibete ô Numina! clades,
Quanta reportatis victoria læta triumphis
Commoda: cùm noſtris jam nulla gerantur in oris
Bella, quid infauſtæ metuenda eſt alea pugnæ?
Quin quoque non duræ famis inſuperabile telum,
Non lue tabificâ peſtis graſſatur in hoſtem,
Solvit & immani miſerandam funere claſſem.
Noſtra nec adverſæ numero, nec viribus impar
Claſſis erit: quæ vos igitur nunc juſta moretur
Cauſſa, Duces? jam jam totas effundite vires,
Solvite corde metum, remoræque abrumpite crimen
Cauſſa iubet Superos melior ſperare ſecundos.
Hoc tamen, O Proceres, animis advertite, certo
Ordine, vos certis diſponite legibus arma,
Vela, viróſque ſimul, ſtudiis confuſa priuſquàm
Agmina terribilem temerè effundantur in hoſtem.
Sin minùs, hanc ſeriem differtis in horrida belli

Tempora, magnanimos horrore videbitis atro
Attonitos pallêre Duces, turbata tumultu
Castra ruent; licet ignari discordibus omnes
Præcipient facienda sonis, ignota Ducísque
Munera, vix notis tyrunculus arroget armis.
His dictis animos belli inflammavit amore,
Nec mora, quemque suum munus rapit, armaq; læti
Expediunt, quâ quisque potest accingitur, & jam
Anchora fundatas solvit resoluta carinas.
Dorica Tyndaridos quondam indignata rapinam
Classis, & Iliacos bello eversura Penates
Non animis, manibus, rigidis-ve æquaverit armis.
Huc usto & sterili perdives Iberia saltu
Contulit egregios invicti Martis alumnos
Mille quater geminos, quëis dura per omnia virtus
Compositis pugnare animis, manibusq;, superbo
Atque alienigenas cilii contemnere fastu.
Itala fœcundis tellus placidissima campis
Huc quoque transmisit validas, bis sena, phalanges
Millia, queis mirum est argutæ mentis acumen,
Ingeniumq; capax fandi artibus, atque nefandi
Sopitam incauto vindictam afferre sodali.
Misit hyperboreus tria millia Teuton ab oris,
Est hominum vænale genus, belliq; ferendis
Impetibus, nulli virtute, aut viribus impar.
Huc quoque, quos pietas, & inexsaturabilis horror
Turcigenûm vario mundi concîvit ab axe,
Sponte suâ portum tria confluxere sub unum
Millia. Non hominum numerosis viribus impar
Classis adest: adsunt ingenti mole triremes
Octo & bis centum: & toto miracula ponto,
Centauri sex immani compage minantes

In

In cœlum: doctiq; Notos anteire furentes
Vasta quater deni per Tethyos arva phaseli;
Viginti & quinæ vasto fundamine puppes
Commoda castrensem, vectant genialia cellam.
Ergo ubi jam portus fidâ statione relictâ
Trudibus in vastas pelagi propellitur undas
Classis ovans, ardor magno certamine fervet
Nauticus, hîc alii subito conamine funes
Expediunt, celeriq; pedem pede ferre laborant.
Hic alii antennas summa ad carchesia ducunt,
Et placidis implent fluitantia carbasa ventis.
Parte alia ductis remex ad pectora, tonsis,
Incumbit transtris, & lento verbere fluctus
Summovet invitus, scuticæ cui pronus habenis
Instat, & abstrusas languenti à pectore vires
Elicit increpitans plagisq;, minisq; magister.
Eruta finduntur crebris Neptunia sulcis
Æquora, & à fundo impulsis freta fervida remis
Versa ruunt circum latè spumantibus undis,
Sulfureo scloppum exonerat sclopparius igne,
Horrificoq; quatit tonitru mare plumbeus imber.
At Draco, Tartarei monstrum lethale baratri,
Cui lites, odiumq;, & bella ferocia cordi,
Vidit ut unanimes armari in prælia, nectit,
Quâ potis est vafer arte, moras: rixisq;, minisq;,
Christicolas inter jacit immanissima belli
Semina, sed Procerum prudentia rara, Ducisq;
Pervigil ingenium pravas melioribus artes
Artibus eluſit, stygio emissasq; baratro
Dissidii primo flammas exstinxit in ortu,
Compositos docuitq; animos, æterna caducis,
Publica privatis præponere commoda rebus.

Protinus in primas Selymæi littoris oras
Fama volat, monstrum quâ non deformius ullum,
Illa ad supremæ ventosa cacumina turris
Excubat insomnis semper vigil, obvia sensu
Cuncta ardens fallace rapit, Zephyróque procace
Ocyor excurrens facta, atque infecta referre
Præco loquax gestit, permenso & garrula mundo
Vana magis solidis præfert, commentáque veris.
Hæc jam multiloquis Turcas rumoribus implet
Christigenas coiisse duces, aciémque coactam,
Quæ paret acceptas bello sarcire ruinas.
Ut primûm hæc patuere, citus speculator in altum
Mittitur; instantem simul exploravit ut hostem,
Regreditur portum, certo rémque ordine totam
Apperit, at numero se, mox Selymúmque fefellit.
Quippe ubi Christiadas inita ratione cohortes
Supputat, inventus vero leviórque, minórque
Colligitur numerus, vano inde superbia fastu
Turgida perfudit Selymo præcordia fastum
Contemptus comitatur iners, secura malique
Segnities, pestis, qua non funestior ulla,
Magnáque perpaucis subvertere castra maniplis
Doctior, haud Ducibus concepta impunè superbis.
Exin vela dari, classémque edicit in æquor
Detrudi Selymus; provecta, urbésque, sinúsque
Remigio superans, junco fundata bicorni
Tota Corinthiacis tandem consîdit in oris.
Iam Messanæam Christi cùm exercitus urbem
Appulit, auratos blandis decorabat aristis
Flava Ceres campos, ridenti messe lacessens
Falcibus armatos segetem tondère colonos:
Iam quoque pomorum gravibus proventibus arbor

Stipite

Stipite ſucciduo nutabat onuſta: recoctis
Puniceus ramis, nullo quaſſante, cadebat
Imber: & in lætos Bacchi genialis honores
Ad numerum rudibus ſe conglomerabat in orbem
Motibus agricolûm chorus, oppreſſúſque Lyæo
Torpida in exanimem ſolvebat membra quietem.
Martia ſed Siculo cùm claſsis in æquora portu
Solvit, & Oceano ſe credidit, arva rigebant
Fœtibus orba ſuis, ſqualebat pampinus uvis
Pallida calcatis, fame languenteſq; cadebant
Exſuccis frondes ramis, & marcida valles
Implebat membrana: novus revocabat arator
Sub juga deſuetos arva ad renovanda juvencos.
Iámque propinquabant acies, multúmque fremebant,
Præcurſor cùm promptè animos Venierius addit
Ingenuo, mendace tamen rumore, profanas
Nempe ſagax decies quinas formidine victas
Præcipitante fugâ monet evaſiſſe triremes.
Chriſticolis famâ hac Martis furioſa cupido,
Bellandique accenſus amor, ſpirantibus acrem
Pectoribus Martem, ſubeunt ſinuoſa Corinthi
Æquora, Mavortíque parat ſe quiſque propinquo.
Atque ea diverſa penitùs dum parte geruntur
Iam pater Omnipotens, acie qui providus acri
Singula diſpiciens, fatorum præſcius auctor
Deſtinat, inque ſuas conſtanti tramite metas
Dirigit, aſtrigero terram ſpectabat Olympo:
Hinc comes arridens hilari Clementia vultu,
Inde ſupercilio, rugíſque Aſtræa protervis
Aſſidet, hæc Domini languentes aſperat iras
Continuò, gravibúſque monet commiſſa piare
Crimina ſuppliciis, gemitu, lacrimíſque replere

Intima tecta, vagis triſtéſque ululatibus agros.
Altera ſedato patrii ſuccendit amoris
Alloquio flammas, iratáq; pectora mulcet.
At Deus adverſam placidâ moderatur utramq;
Temperie, laxas iratæ effundit habenas
Iuſtitiæ rarò, Bonitas viget, atque vigebit
Integra, non ullo ſæclo interrupta, nec ævo.
Quin quoque, quâ mundi diſcordia crimina pendit,
Æqua eſt libra Deo, Bonitas hanc prona miniſtra
Porrigit, & precibus ſupplex ardentibus urget,
Vt Mahometicolûm perpendere crimina iudex,
Chriſticolûm trutinâ ſimul & dignetur in una.
Hæc ubi perpendit, vergens examine prono
Lanx Mahomæta piis gravior præponderat, unde
Irarum indomitos animum commovit in æſtus
Turcarum impatiens, horrendùm infrenduit ore
Omnipotens, pallore ingens ſtupefactus Olympus
Contremuit, tellus penitis agitata latebris
Horruit, attonitus fundo mugivit ab imo
Oceanus, ſummo trepidarunt vertice montes,
Horridáq; obſcuris Plutonia regna cavernis.
Ergo ubi purpureis tenebras Aurôra quadrigis
Diſpulit, atque diem jam jam caſſita propinquum
Nuntiat ore canens tenui, vultumq; ſequaci
Inſtabilem pelago demergit Cynthia, pulſis
Cæruleum Titan nebuliſq; inducit Olympum,
Immane horrendi ſignum Mavortis, Iberus
Sanguineum mali vexillum in vertice pandi
Imperat. In celebri velut urbe Aurora cubantes
Cùm citat artifices, ſua quemque ad penſa: laborî
Quiſque ſuo parat arma: libris elementa futuris
Chalcographus jungit: vivum referentia pictor

Com-

Commiscet pigmenta: faber sub cote securim
Impiger exacuit, nunquam cedente retusas
Asperat hic acie limas: hic arida subdens
Nutrimenta suis vitriarius ignibus, audax
Ignea perpetuam vocat in certamina Vestam,
Planitiemq; dolat latomus rude marmor in aquam.
Sic ubi Christiadûm pugnæ manifesta cohortes
Signa dari advertunt, premit exsultantia palmam
Corda referre decus, vel certæ occumbere morti.
Expedit ignivomos Vulcania secta labores,
Fulmina, & indomitum domitura tonitrua pontum:
Hic gladios polit ancipites, flammamq; vomentes
Cotibus, hic nervis arcus, jaculisq; pharetras
Instruit electis: poliunt thoraca, ahenis
Constringuntq; hamis alii, sua carbasa nautæ
Accelerant agiles: discors vireſq;, animosq;
Extorquet clamor subterq;, superq; ruentum.
Haud aliter fremitu mussant examina denso,
Cùm festina favos, & dulci nectare cellas
Distendunt: proprio distincta emblemate cernas,
Ut Zephyrus vexilla furens, ut aplustria gaudet
Ludibrium vacuo fluitantia prodere cælo.

Nec minùs ingentes volvebat pectore curas
Austriades, non tantum alios tormenta, rudentes,
Fatiferiq; enses, arcus, celeresq; sagittæ
Exagitant, aciẽ quantum forma illius angit,
Ambiguamq; trahit studia in contraria mentem.
Astinito celebri tandem Procerumq;, Ducumq;
Consilio, placuit redivivæ ad cornua Lunæ
Curva tripartito ducibus disponere classem
Ordine. Jam medii robur, validissima, belli,
Agmina, ductor agit Princeps. Genuana juventus,

Et dextri regimen cornus ceſſere Columnæ,
Lævaq́ belligerâ ducit Venierius arte.
Sic ubi Ductor Iber aciem digeſſerat, omnem
Remigio claſſem circumlegit, ardua primis
Pectora ſuccendit ducibus: quin, nomine quemquam
Dignatur ſtimulare ſuo, memoriq́ precatur
Expendant animo, quàm juſta, & ſancta coactos
Cauſa pios moveat ſceleratam exſcindere gentem,
Quantus honos fuſo redimendus ſanguine, merces
Quanta manet victricem aciem: redimenda piorum
Agmina ſervitio quot &, heu! quantumq́ Tonantis
Gloria conflictu ſubeat diſcrimen in uno.
At Mahomæticolûm ducat ſi effræna triumphum
Barbaries, victis Chriſto credentibus, addit
Vincula, & horrendis ergaſtula lurida pœnis,
Torquendis longo captis fabricata dolore.
Vocibus his, geſtuq́ alacri, vultuq́ ſereno
Chriſticolis Princeps oculos, aureſq́, animoſq́
Omnibus erexit; palmæ hinc præſaga futuræ
Vox oritur cunctis magno, Victoria, cantu.
Turcicus haud aliâ prodit exercitus arte,
Quem duo, barbarico dicti de nomine, Baſſæ,
Imperio frænant; Alio maris alea certo
Obtigit imperio, ſors eſt tua, Portave, tellus:
Hi medium belli ducunt, duo fulmina, Baſſæ,
Agmen, & indomitas Ochial in læva cohortes
Cornua: tu dextras moderaris, Beie, phalanges.
Ergo ubi Barbaricos aciẽ, claſſiſq́ paratus
Luſtravit, tali eſt Alius ſermone loquutus.
Si, Iuvenes, prima repetens ab origine pandam
Sæcula quot ſemper victrix Otomanna peregit
Progenies, dextra quoties domitrice rebelles

Chri-

Christicolûm dignis repreßit cladibus ausus,
Et quantis, vos! vos! dudum sopita novantes
Prælia semiviros sudistis stragibus hostes:
Quis, precor, ardenti pectus non æstuet irâ,
Cùm pulsos videat semper, semperq́ subactos
Ardua semiviros audere in prælia, nobis
Et partum extorquere decus? victoria largam
Ista dabit prædam: quæcunque Eurôpa capaci
Dives habet gremio, patrias referetis in oras.
Sin acie fusos, victosq́ everterit hostis,
Infames spectate cruces, tormenta, dolores,
Et miseræ varium mortis genus, antè subactis
Quæ mala Christiadis vestra influxisse libido
Gestiit, hæc eadem multo cumulata rependent
Fœnore: quæsitam benè famam infamia turpis,
Infandus laudem pudor, ingens gaudia luctus
Obruet, & nullis revirescet gloria sæclis.
Nunc animis opus est: enses, hastilia, glandes
Diriget instantes divus Mahometus in hostes.
Sed tamen hoc vereor, dum vos in bella ruentes
Vocibus his teneo, Christi tremefacta capessant
Castra fugam. dixit, fremitu, plausuq́ sonoro
Grata Ducis cunctæ testantur verba cohortes.
Phœbus ut adversæ instructis micuere phalanges
Ordinibus, nitidis aciẽ splendescit in armis,
Fulgurat, & rutilans liquido tranantia ponto
Squammea percellit tremulis examina flammis.
Bellatorq́ pius radiorum luce coruscans,
Turcigenis, hebetat, multùm indignantibus, ora.
At regnis magis ipse suis volucrisq́, levisq́
Æolus aspirat constanti flamine Turcis,
Congressum tamen; O bonitas miranda Tonantis!

Anticipans paulo, fidus ſe transfuga fidis
Jungit, & infeſtis primus jaculatur in hoſtem
Flatibus: agnoſcunt palmæ præſaga Fideles
Omina Bellipotens cœli proponere Numen.
Oceani interea quatefacta palatia terrent
Horrida rauciſonis tormenta boantia bombis.
Bellonámque in bella vocant, rapidúmque Gradivum
Ignivomo proculere: tubæ clangentis ahenus
Præco citat cunctos, Martíſque inflammat amore.
Hem! quid? egon geſtas acie res, ſingula belli
Momenta incultis depingam verſibus? ac ſi
Spumantem tetro vidiſſem ſanguine Martem,
Terribilémque, potens qui jura, & fræna, Tonantem
Dat Marti inſano: procul! O procul abſit! in ipſo
Qui belli fervore manus, mentéſque furebant
Indomiti, vivam ſi quando effingere tentent
Hiſtoriam, victi rerum ſub mole fatiſcent.
Huc tamen audentem cùm me temerarius ardor
Traxerit, auſpiciis Domini, placidiſque legentum
Plauſibus erectus, concurſus carmine duros
Perſequar, ut Phœbi radiis percuſſa colorem
Corpora Phœbæum referunt, ſic forſitan umbram,
Signáque geſtarum referent mea carmina rerum.
Hæc data Chriſticolis ubi bella eſt teſſera, jam ſex
Centauri viſu immanes, qui prima ruentis
Cornua firmabant claſſis, pelluntur in hoſtem.
Ut primùm ignîto concepit fomite pulvis
Sulphureus flammam, rimâque illapſus ahena
Turbine terribili penetralia tormentorum
Excutit, horriſono tonitru cœlum omne remugit,
Aſtráque commotis reſonant excuſſa quadrigis:
Fumea caruleas atro nox ſulphure nubes

Obruit

Obruit, insanis tempestas sæva procellis
Irrumpit: clavorumq́, uncorumq́, globorumq́,
Atque cathenarum volitantum ferreus imber
Ingruit, & Selymas ingenti strage cohortes
Involvit: tantis mistus reboatibus atrox
Clamor, singultus, planctus, tristisq́ ululatus
Vulnere stratorum, diversa & morte cadentum
Aëra luctisono percellit murmure, Pontus
Ipse tremit, vitrei, cives, pinnata, profundi,
Agmina, concussam effundunt formidine vitam:
Cuncta licet gelido tremerent horrore, metúque,
Non metus, horrisoniq́ fragosa tonitrua bombis,
Non clamor, non singultus, tristesq́ ululatus
Fregère ardentes Turcis audacibus iras.
Quin animis, armisq́ truces insueta laborant
Solvere damna Piis. Tonat ingens ore sonoro
Machina, sulphureo vacuatus pondere stridet
Horrendum tubus, Austriadas ita cædibus implet,
Cæsa repugnantes ut adæquet turba cohortes,
Adria sanguineis ut turbidus æstuet undis.

Non tamen hanc placidam fortuna volubilis auram
Turcigenis dedit esse diu. Tormenta boatu
Christicolum crebro eructant lethale volumen,
Quod præceps, rapidoq́ evertens obvia pulsu
Obvallat stygiam numerosa morte paludem.
Portitor haud animas unus, non una profanas
Cimba capit, gemat usque licet sub pondere, multam
Accipiátque frequens stagnantem immersa paludem.
Dum natum pater hortatur, mox ferrea tundit
Sphæra patrem in multos atomos partita; gementem,
Et dubium vitæ natum prætervolat: audax
Militibus facienda suis dum fortè Tribunus

Admonet, infensum, trajecto gutture, telum
Impedit offuso vitam, vocemq; cruore.
Inde phalanx densum cuneum firmabat, ab hoste
Murmure cùm stridens crepero globus advolat, aura
Per medias ruit indomitus, cæcoq; cruentus
Delectu impulsos trudit decimator in Orcum.
Iamq; ita vesano resonabant cuncta tumultu,
Ut non ulla ducum miles præcepta monentum
Auribus accipiat, sibi dura per omnia miles,
Dux, & miles adest; memori præcepta revolvit
Mente, rudis primâ didicit quæ tiro juventâ,
Duraq; magnanimâ virtute pericula temnit.
Dumq; ita longinquis pugnantes eminùs armis
Missilis insigni tempestas strage fatigat,
Contiguus congressus adest, propiora triremes
Bella gerunt, manicis coëunt, uncoq; rapaci
Amplexum hostilem rapiunt, lateri latus hæret
Impactum, oppositis stant rostra allisaq; rostris.
Iam pavor excutitur, segnisq; ignavia, reddit
Audaces spes nulla fugæ, pontusq; timori
Invius. Heroûm dectricto fervida virtus
Ense furit, teretiq; caput, quâ gutture pendet,
Amputat, exanimum prosternens vulnere truncum.
Hostica dum telum hic suspensa per ilia mittit,
Dilecti imprimis tremulo celer hostis amici
Transadigit pilo femur: hinc mucrone gementem
Dum Pius elidit vitam, lethalis arundo
Excipit incautum, inferias hunc q; immolat umbris.
Turca repugnanti scapulas dum fortè fideli
Transfigit jaculo, vivdex venit hasta, nocentem,
Perterebratq; manum. Remex non segnior istis
Bella movet, servile genus, lapidumq; procellas

Letiferas

Letiferas ciet: obſcuris his ſplendidus armis
Sæpè cadit Ductor: pectus, crus, terga, lacertos,
Fruſtaq́ diſperſi videas contuſa cerebri.
Nec minùs horrendos edunt tormenta boatus,
Queis ſimul ut flammam immiſit jaculator, ab hoſte
Glans volat, huic ſolido rumpens cava tempora plumbo.
Iam licet horrifero tonitru commotus Olympo
Fulminet Omnipotens, nulla tamen aure tonitrum
Accipiant acies, tanto tormenta fragore
Ingeminant, tanto tinnituq́ enſibus enſes
Conſerti ſtrident, validis vibrata lacertis
Pilaq́, & errantis vacuum per inane ſagittæ
Murmur, inhorreſcunt gemitus, planctuſq́ dolentum
Vulnera, clamores, & inania iuſſa bonorum
Crebra ducum, abruptis reſonant fragmenta carinis.
Nunc freta concreto videas ſtagnare cruore
Moſaica Phariis virgâ ſeu contigit vndis.
Hactenus ambigua concurrere ſorte placebat
Numinibus, Fortuna, tuis qua fronte ſerena,
Et torvo inconſtans vultu fruſtraris utrunq́.
Hic fera Germano certans Bellona Gradivo
Cædibus, antiquas avidè graſſatur in artes.
Quò magis infanda bacchatur cæde Gradivus,
Et numero minor eſt acies, magis aggerat iras
Et furor, & miſto gravis indignatio luctu.
His aurâ aſpirat placidâ modò, gratior illis
Mox animos reficit lapſos victoria, jam jam
Inſtaurare novo credas certamine pugnam.
Heu! miſeret, gelidoq́ tremunt horrore capilli,
Chriſticolûm ſubit ut miſeranda cladis imago:
Dædala me ſeries, & inextricabilis error
Implicitum tenet, Omnipotens, Spiraminis Almi

Cæca mihi deduc filo vestigia, portum
Euge! euge! optatum video! gaudete, Fideles!
Aurea jam properis volat huc victoria pennis.
Hoc dum successu fremerent utrinque phalanges,
Ductor Iber partes oculos deflectit in omnes,
Non procerum, non ulla ducum præclara moratus
Nomina, defixis Alium generosus in unum
Luminibus ruit, haud alius deposcitur armis.
Ergo ubi correptæ manicis hæsere triremes,
Consimili ac ipsas, fortuna incerta, cohortes,
Exercet levitate duces: nam quatuor ex quo
Turrigeræ magno tonitru fremuere triremes,
Fulmineo scloppi vomitur flammantis ab ore
Plumbea grando, cadunt funes, cæsiq; rudentes,
Strata cadaueribus squalent tabulata cruentis.
Jam pilis, jaculisq;, & acuto cominus ense
Certatur, primis cum palma affulget Iberis.
Magnanima siquidem juvenum stipante caterva
Ipse animis flagrans Alianæ impervia turris
Adsilit indomito dux propugnacla furore,
Confestim irrumpit, celsam totisq; triremem
Viribus ingreditur, nec & hic subsistere longùm
Fas erat, hunc etenim Bassa exundantibus actus
Fluctibus trarum grassantem robore, viq;
Excipit invicta, pulsum, fusumq; triremi
Exigit: ingenti Heroas & strage fideles
Submovet: Austriades stragem indignatus acerbam
Indomitùm furit, hinc virtus Mavortia vires
Suscitat, hinc pudor, hinc rabido indignatio gestu
Pectora terribiles animosa flagellat in iras.
Stat casus renovare omnes, ingentibus ausis
Vel reparare decus, vel mortem laude paciſci.

Quin

Quin modò perculsis redit in præcordia virtus
Militibus, denso restaurant agmine Martem.
Irruit Austriades rapidus, non arma, nec ullus
Bellator sufferre valet; jam Bassa supremum
Perfugium, puppis vanum sibi quærit asylum.
Cùm Macedo, Macedûm decus immortale, suóque
Dignus Alexandro, vivâ spe raptus honorum
Involat, infœlixq; caput rotat ense, Ducíque
Donat ovans victor non indonatus Ibero.
Hoc ubi supremi defixum in vertice mali
Turcigenæ vidêre, fugam meditantur inanem
Præcipites, dirâ victor quam cæde coercet:
Nec Selymo tantæ rediisset nuntia cladis
Fama, nisi fusis Melitani heroibus albi
Ter denis, Ochial, remeasset fortè carinis.
Jam patuit vicisse Pios, gratésque benigno
Persolvêre Deo, & læti duodena Piorum
Millia servitio numerarunt rapta profano.
O decus, Austriaci clarissime nominis Aster!
Splendorem truculenta tuum quid fata? Sorores
Lanificæ cæco tantum invidêre quid orbi?
Quid micuisse tibi, non illuxisse licebat?
Interea Ponto nox pallida surgit opaco,
Et placidâ Morpheus demulcet lassa quiete
Corpora, sopitis mollítque animalia curis,
Cum vigiles Veneti dubiis eventa morantur
Mentibus; optati spes exsultantia tollit
Corda, sed hanc miseræ cladis formido coercet:
Nolentes audire volunt, noluntq; volentes.
Ast ubi Turcigenas memorandâ strage subactos
Aurea fama canit totam diffusa per urbem,
Virginibus mistæ matres, hilarésque puellæ

In medium ſalière forum, ſociæq́ choreas
Inſtituunt, quarum Princeps præit omnibus odâ,
Quam reliquus dulci modulans chorus excipit hymno.

Chorus Venetus.

Eiâ, Deum, Veneti Juvenes, cantate, Seneſq́,
Hunc dulci vox alta canat modulamine, voci
Et comes accedat teſtudo, tubaq́, fideſq́,
Et quæcunque movent hilares concentibus aures.
Eia, bonum laudate Deum, facilémque parentem,
Cujus in afflictis nituit clementia rebus.
Nam modò cùm rabies Selymi furioſa tyranni
Caſsibus implicitos, & ahena compede vinctos
Impediit, bonitas Domini miſerata dolores
Caſsibus expediit, laqueos, artéſque nefandas
Vertit in hoſtiles, mundo mirante, phalanges.
Eia Deum, Veneti Juvenes cantate, Seneſque,
Nunc juga qui noſtro excuſsit ſervilia collo.
Mortifera ſcelerum contage infecta luamus
Pectora, ſacratam Domini properemus in ædem:
Et laudum ætherios ſuperemus cantibus orbes.
Non claſſe indomita, non vi, non arte, nec armis
Sed Jovæ auſpiciis tumidum calcavimus hoſtem.
Hunc tuba rauciſonis celebret clangoribus, hujus
Cymbala decantent benefacta, & tympana grates
Huic pulſata canant; lyra, tibia buccina laudent,
Barbitus, & motus quæcunque ſonantia chordis.
Eia Deum, Veneti Juvenes, cantate, Seneſq́,
Nunc juga qui noſtro excuſsit ſervilia collo.
Dum Venetis blandæ mulcentur cantibus aures,
Languidus ignavos torpor mihi ſerpit in artus,

Et

Et caput enervum ſponte in ſopita recumbit
Pectora, defeſſos palpèbra obnubit ocellos.
Pigra ſoporifero manus obſtupefacta veterno
Non calamum, pluteumve regit, me torpidus omnem
Somnus, & incertæ certiſſima mortis imago
Occupat exanimem: cùm mox, quâ cornea pandit
Porta viam, mihi tranquillis Deus aureus alis
Morpheïs obrepit, variis cui cedere formis
Ipſe velit Proteus: hujus mihi numine longis
Corpora ſolvuntur curis, & turbida vitæ
Tædia pacifico cedunt mollita ſopore,
Cùm chorus interpres Superûm, divina propago,
Viſus in obliquum glomerari his cantibus orbem.

Chorus Angelorum.

EIa Deum, Aligeri Fratres, celebremus, & omnis,
Succiduo nitidi qui poplite Presbyter Agni
Genua colit, reſonent ejus cælumq́, ſolúmque
Laudibus: æternũ fuit, eſt, ſemperque manebit
Hic Deus, in trino Deus unus, trinus in uno.
Hic Deus in nihilo vaſtæ fundamina terræ
Condidit, ardentes globulis ſtellantibus orbes
Finxit, & ex nihilo, tellus quæcunque capaci
Complexu, & cœli teſtudo volubilis ambit,
Hæc regit, hæc ſtabili firmiſſima lege tuetur,
Hunc magis, atque magis cantemus ubique Parentem,
Qui numen, nomenq́, ſuum celebrare volentes
Proſequitur patriæ miro bonitatis amore.
Quin nec inexhauſti tantùm beat ubere cornus
Hos Deus, æternis ſignata volumina Faſtis,
Et certam eloquii conſtanti pectore normam

Qui recolunt, verùm & vani commenta cerebri,
Stultaq́, divino miscent qui insomnia verbo.
Testis erit toti per sacla perennia mundo
Palma recens, summis meritò decoranda triumphis,
Quæ data sucatis Christi est cultoribus, audent
Qui Chaos ætheriis miscère informe Libellis.
Si Pater Omnipotens tanto dignatur amore
Immunes turpi scelerum se labe professos;
Hic Deus, ô quantis cumulabit dotibus illos,
Qui scelerum sese baratrum lethale fatentes
Præsidium statuunt solum Bonitatis asylum?
Si Deus auxilio reficit, quos nulla salutis
Spes tenet, & dubiis fidei jactantur in undis;
Quanta piis dabit afflictis flamina, quorum
Cordibus incidit vitæ monimenta beatæ?
Si Deus instantis lethi de faucibus istos
Eripuit, quorum impietas furiosa colendos
Indigetes, multosq́, sibi fabricavit Iesus,
Continuis Dominum precibus quæ turba fatigat
Unigenam, solùmque unum veneratur Iesum,
Quid mortem? aut Stygiæ metuat tormenta Gehennæ?
Hic si crusticolas inimicis liberat armis,
Qui, scelus horrendum! O Satanæ furiale venenum!
Orbiculata colunt ioculari crustula ritu,
Quâ tandem emeritos Dominus mercede beabit
Christicolas, quos non Draco, lucrum, flamma, nec ulla
Arma salutifero poterunt divellere Christo?
Si mansueta Dei patet his Clementia, quorum
Frontibus impressum stigma est lethale, character
Sacrilegi fraudum, & scelerum patris Antichristi,
Cædibus infandis, flammisque voracibus atrox
Qui lupus innocuum Christi insectatur ovile.

Vigetur

O igitur! quanta immensi diffundet amoris
Flumina Christicolis, miserè quos horrida vexat
Impietas, quorum electis insculpta leguntur
Frontibus eternæ signa expressissima vitæ?
Has Deus errorum tenebras, noctisq; profundæ
Nubila, quæ cæca involvunt caligine mundum
Discute, multiplici finemq; impone labori.
Eia Dei rerum Domini, belliq; potentis
Aurea dulcisono Bonitatem ad sidera cantu
Tollite, cui magni par nil habet orbica mundi
Machina, vos ejus cantate encomia: & uno
Dicite, Bellipotens Sancte O, Sancte ô Deus, ore.
Hæc ubi dicta, chorus tenues vanescit in auras,
Claraq; depulso redeunt mihi lumina somno.
Vos igitur, propriam Domini Clementia sortem
Quos sibi delegit, recto vestigia calle
Sistite, bellorum nullis agitata procellis
Pectora deficiant: nam si retulisse triumphum
Christicolis dedit umbratis. O credite, verum
Corpus erit vanâ Domino jucundius umbrâ.
Undique septijugæ decicornis bellua Romæ
Usque fremat licet, hos animis constantibus æstus
Ferte Dei memores, ultor venit ecce, profanos
Perdet, & ipse sibi decus asseret omne, piisq;
Gaudia perpetuæ dabit immortalia vitæ.

THOMÆ MORAVII
PAUCULA. QUÆDAM
SCHEDIASMATA.

Ad Regem cùm publicas Authoris
De Regum in Reges Jure, Juris eiusq;
dictione exercitationes Edinburgi ANNO
1599. *habitas suæ Majestatis præsentiâ*
aliquoties illustrasset

EYXAPIΣTIKON.

QVod Regum in Reges jus clementissimus audis,
Postlabitis regni sollicitudinibus,
Mancipio nexuq; tuus; mea sint tua quando
Cuncta, tibi quod dem, nil mihi sit q; meum,
Opto, tuum Deus in Reges jus vindicet: opto
Det Deus, ut Regnis, Rex, potiare tuis:
Christicolis tutor, patriæ Pater, hostibus ultor,
Amplifices Scoticum faustius & Imperium.
Tu clemens, justusq; regas; tibi sæcla peroptent
Cuncta, sed invexiant sæcula nulla parem.
Quid votis? vota hæc superas: cui nil super, optet,
Nil superest, faciat: quod superest, taceat.

Ad

Ad eundem. Aliud

POst varios casus, post tot discrimina vitæ
Das mihi quòd Latium, Rex IACOBE, tuum.
Quòd tandem in sacris spondes mihi læta Camænis
Otia, quæ meritis gratia digna tuis?
Nulla: meæ poterunt Latiæ sed si qua Camænæ,
Non patiar laudes, crede, latere tuas.
Quin tua, quæ totum illustrat, clarissima mundum
Musa, canam Musis quàm sit amica meis.
Laudibus Imperii tua nunc stat gloria; posthac
Stabit, & in Musis vivet ubique tuis.
Scilicet æternam Sceptra, & Diademata famam
Non pariunt, pereunt; quæ pariunt, pereunt.
At Musæ his vitam, Musæ his per sæcula famam
Cùm pariunt, vivunt ipsa ea, quæ pereunt.

Ad eundem anno 1604.
oblatus Janus.

NUnc redit & mundi Janus renovator, & anni
Janitor, Uranias nunc aperitq́; fores.
Hic cæli, hic Superûm, Fatiq́; interpres, in isto
Singula mox quæ sunt orbe futura, docet.
Augusto tibi, Rex, monet, Augustæq́;, futura
Et Proli, & Regnis omnia fausta tuis.
Tu quoque præsentis (Jano nos credimus) anni
Arbiter, & Regum, Rex, Moderator eris;

Ver mundi pictor. renovator. Janus anni
nunc redit. Uranias nunc aperitq́ fores

Conjungesq; tuos æternâ pace Britannos,
Et tolles prisci nomina dissidii.
Non Scottus, non Anglus erit; sed uterq; Britannus,
Aut prisco Albinus nomine dictus erit.
Vindice te, Pietas jam longùm afflicta resurget,
Purus & antiquæ relligionis honos.
Vindice te, cælo terras Astræa relicto
Incolet, hic solium constituetq; suum.
Vindice te, doctis erit ingens gloria Musis,
Virtuti & proprius nunc sine fraude locus.
Vindice te, tandem Impietas sceleros a peribit,
Et sitis injusti sanguinolenta mali.
Vindice te, tandem Virtuti inimica facesset,
Et miseris Musis invida Barbaries.
Vindice te, fœlix nunc tota Britannia, totus,
Te quoque nunc, fœlix, vindice, Mundus erit.
Hæc Janus. Jano sed qui non credit, is ipsi
Non sibi, non oculis credit & ipse suis;
Nempe bonis, nisi tu, Rex, sis spes certa, malisq;
Terror; iis post te spes, neque terror erit.

Ad Eundem προγνωστικον.

QUæ fuit à toto divisa Britannia Mundo,
Divisa & populis quæ fuit antè suis,
Te Duce, cum toto nunc una Britannia Mundo
Fiet, erit populis semper & una suis.
Tu quoque jam regnis pacem dabis omnibus, aut tu
Rex subiges armis omnia regna tuis.
Nempe hoc Imperii Fatum est, fortunaq; summi,
Fertur in æstivi tramite Solstitii
Surgit ab Eoa, Occiduam devergit ad Arctum,
Cæpit in Assyria, desinet in Scotia.

Cæpit

Quæ fuit Imperii Romani Scottia finis,
Omnibus Imperiis Scottia finis erit.
Scilicet eſt Soli, & magno quæ Scottia Mundo
Finis, erit Summis finis & Imperiis.

Ad Henricum Iacobi Magni filiũ, Britanniarum, & Hiberniæ Principem Aliud.

MAgne Puer, magnis prognate Heroibus; Heros
Major &, O! atavis ipſe future tuis.
O decus eximium ſceptri! O ſpes fida Parentis!
O Mundi! O Patriæ gloria ſumma tuæ!
Tu cœlo quidquid magnum eſt; tu quidquid in iſto
Orbe fuit magnum, jam Puer unus habes:
Magnus in auguſto nam ſplendet Iuppiter ore,
Mars, Venus, in facie Phœbus & ipſe tua.
Ipſe tuâ nobis deſcribitur indole Cyrus,
Cùm Puer Aſtyagem viſere gaudet avum;
Ingenio Magnuſq; tuo, preſente Philippo,
Cùm domat indomitum pulverulentus equum.
Numinibus ſi vis ulla eſt cæleſtibus; olim
Si Cyro, & Magno gloria magna fuit,
Crede, tuis ſub te veniet permagna Britannis
Gloria, quæſito fortiter Imperio;
Gloria non Græcis domitis, Perſiſve, Syriſve;
Gloria Romano ſed pereunte Lupo.
Nec mirum hoc; Fati effatum eſt immobile ſummi,
Scottia Romanum finiet Imperium.
Inde fit, ut Scotici ſit tandem, Henrice, Leonis
Splendida, Romanus, præda futura, Lupus.

In Regii Nominis Anagrammata *quædam, ex quibus Regi Anglicum* Regnum deberi Anno 1600. eruebatur.

O Mina nominibus quid certa ſubeſſe retextis?
Quid certam & certis eſſe ſub ominibus
Rem dubitas? probat ominibus Rex eſſe ſub ipſis
Rem; certa & verſis omina nominibus.
Quiſnam igitur dubitet? ſpero tandem fore, tota
Anglia, ſi dubites, Anglia tota, probes.

In Roſeum quoddam ſertum Poeticum Regi eodem anno oblatum.

QUod Roſeum tibi, jam ſertum datur, ominor illud
Cui Roſa jam ſignum eſt, Rex, fore, Magne, tuum.
Hoc durum: in duris Roſa ſpinis naſcitur, ex his
Quæritur, at ſpinis abſque, vides, geritur.

In redivivum Muſarum ſub Jacobo Rege decus.

ET Luci, & Muſis Phœbus dux fertur; ab orbe
Quod Luce, & Muſis Sol abigat tenebras.
Nam ſine Sole nihil lux eſt, nil Muſa, per ipſum
Abs his barbaricæ diffugiunt tenebræ.

Hinc

Hinc fit ut, à multis cùm Sol defecerit annis,
Omnia ſint tenebris abdita Cimmeriis.
Haud decus, haud Muſis fuerit locus; omnia priſcum
Ad Chaos, & ruerint omnia barbariem.
At novus ex quo Sol Jacobus *luxit, ab orbe*
Fûgit ad obſcuras barbaries tenebras.
Ergo ſuum Muſis quis jam non ſperet honorem?
Sol ſedet in ſolio, Muſaq; conſilio.
Sole ſub hoc Muſis niſi jam ſit ſplendor, & orbi
Et Soli, & Muſis, heu! metuo tenebras.

In rariſsimum Elizabethæ Anglæ regnum.

SErva, quid Auguſti fælicia ſecula? demens,
Quid proba Trajani ſecula, Roma, canis?
An fælix queat eſſe, ſuos, Patriamq; furenter
Qui jugulat vivens, qui ſepelit moriens?
An probus, inſigni claros Probitate, Fideq;
Qui necat? in ſummum qui movet arma Deum?
Rex probus, & fælix tantùm is, vivenſq;, cadenſq;
Qui facit, ut Probitas, Patria, ſtetq; Fides.
Ter proba! ter fælix! tu tres Virgo una ruentes
Stentq;, facis vivens; ſtentq;, facis moriens;
Nec modo ſtent, facis; emoriens facis, uſque triumphent
Dum Scotiam ſceptris addis, Eliza, tuis;
Afficta Alcidæ ut credat veriſsima, credat
Mundus Amazonidas, atque Semiramidas;
Ut ficta, abs aliis credat quis facta; ſed abs te
Facta, ſtupens credat ficta, videns oculus.

In veriſsimam Alexandri Dicſoni, & Authoris amicitiam.

UNa erat in binis ſemper mens, una voluntas;
Unus & in bino corpore ſenſus erat;
Unus erat binis dolor; oblectatio binis
Unáque; ſpes binis una, metuſq́; fuit.
Unus amor binis; una averſatio binis;
Una etiam binis ira, odiumq́; fuit;
Unus erat nobis labor, una & cura duobus;
Una etiam nobis vita duobus erat;
Sic duo non duo ſunt; unus non unus; at unus
Eſt duo; nunc duo ſunt unus; utrumque ſimul:
Sic ego Dicſonus; fuit ille Moravius; & ſic
Unus uterque fuit; neuter uterque fuit.

Nobilis cujuſdam in ipſa nuptiali pompa extincti ad omnes mortales προτρεπτικον.

QUàm falſa hæc miſeræ, ſint vanaq́; gaudia, vitæ;
Qui cupis exemplo diſcere, diſce meò:
Dum cantatur Hymen; dum gaudia læta, choroſq́;
Inſtruo; dum gratum ſponſa parat thalamum;
Mors ſit Hymen; pheretrum coniunx: mihi gaudia luctus;
Et chorus exſequiæ; ſit thalamus tumulus.
Delicias, vita ô fallax! cùm ſubſit in ipſis
Mors, pheretrum, luctus, exſequiæ, tumulus.

Anonymæ

Anonymæ cujuſdem (quæ maritum, cui invita nupſit, ſuſtulit, & inſigne *documentum in ipſo extremo ſupplicio, anno* 1600. omnibus mortalibus jam moriens reliquit) *ad viatorem*

Aliud.

Diſparis, en! vitæ ſpeculum mortiſq; ; coacti
Omnibus exemplum triſte feror thalami:
Nulli grata magis mors, vita minùſque ; beata
Nulla minùs thalamo, nulla magis tumulo.
Diſce, parens, natis dare libera vota ; tueri
Diſce maritalem, vir, mulierq; , fidem.
Diſce O! quem ſcelerum abſorpſit metuenda vorago,
In ſummis veniæ ſpem fore criminibus.
Nec crebrò hæc veniæ Phœnix venit ; unica ſecli
Eſt avis, hanc pauci, qui cupiunt, capiunt.
Ergo mori bene qui cupies, bene vive, viator,
Nec ſpera hanc noſtram, dum malè vivis, avem.

Ejuſdem Aliud.

Vita mihi mors eſt ; mors vita ; perenne meorum
Opprobrium vivam, delicium moriar.

In ſummam Illuſtriſsimæ Heroinæ *Catharinæ Borboniæ, Henrici Francorum, & Navarrorum Regis ſororis unicæ, in verè Chriſtiana Religione conſtantiam.*

Gloria fœminei fuit hæc rariſsima ſexus,
Stemmatis, & patriæ flos, Catharina, ſuæ.
Fœmineis ſexum ſuperavit dotibus omnem,
Conſtanti & ſummos robore nympha viros.
Hinc dubium, majuſne decus ſibi fœmina victrix
Attulit, an victis dedecus illa viris;
Artibus, haud dubium tamen eſt, hanc mille petitam,
Viribus innumeris nec potuiſſe capi.
At ſine vi, ſine fraude ipſi nos vidimus ipſum
Attoniti Martem, proh! ſine Marte, capi.
Ergo, Deo duce, cuncta poteſt ſi fœmina, magnus
Hoc ſine ſi Mavors ipſe poteſtq; nihil,
Diſce, vir, hinc fragilem ſtolidè nec temnere ſexum,
Nec tumidè vires amplificare tuas.
Sed mirare Deum, qui nos tollitq;, premitq;,
Cùm libet, arbitrii pro ratione ſui.
Huic age pro tantâ grates memor Heroïnâ,
Quæ potuit nullis ſuccubuiſſe malis.
Cuncta licet retrò videas tu ſecula, majus
Invictæ exemplum non Pietatis habes.
Dum vivet Pietas, & erunt exempla; perennis
Vivet, in exemplis primaq; ſemper erit;
Semper erit prima hæc, ſemper ſi primaq; vivet,
Stultus es, hanc quiſquis jam periiſſe putas.

Eidem

Eidem Epitaphium.

CUi genus, ingenium, pietas, prudentia, virtus
Summa fuêre, ſub hoc marmore Nympha jacet.
Non jacet hæc, fallor: vitam hanc erecta per omnem
Quæ ſtetit, in cælo eſt viva, jacere nequit.
Hæc ſtat, & ô vos! vos! Papanâ in face jacentes
Excitat, exemplo ſtare jubetq; ſuo.

Cæciliæ Vemiæ lectiſsimæ, & rariſſimæ Gulielmi Moravii Tilibardini conjugi, in ipſo ætatis flore, ſummo omnium merore extinctæ, Aliud.

QUæ roſeo vegeta rapta eſt in flore juventæ,
Qui cupitis, Vemiam noſcite Cæciliam;
Huic genus auguſtum, facies divina, benignus
Vultus, iis corpus convenienſq; fuit.
Vita inſons, ſine labe pudor, mens caſta, pudicum
Pectus, huïc morum gratia ſumma fuit.
Vox blanda, & ſermo facilis ſine felle, nec unquam
Sæva fuit cuiquam lingua, graviſq; manus;
Una fuit Virtus juſtum obſervare, piumq;
Semper, & ad nullum vergere flagitium.
Ætatem, & ſexum vicit prudentia, vicit
Humanam Pietas, Relligioq; fidem;
His ego divinis cumulatam dotibus hanc non
Jam credo humanam, credo ſed Angelicam.

Quid dico Angelicam? verus fuit Angelus hæc, quæ
Nobiſcum humanâ vixit in effigie.

Alexandro Dicſono
Aliud.

QUi Cælum, Terram, Oceanum, Mundumq́ tenebat,
Dicſonum exiguus non tenet hunc tumulus;
Non Cælum, Terra, Oceanus, non maximus iſte
Dignus Alexandro Mundus erit tumulus.
Nam Cælo, Terrâ, Oceano, Mundoq́ ſoluto,
Nulla hunc mors ſolvet. Nullus erit tumulus.

FINIS.

XUM